



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed  
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum  
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè  
continentur

**Zerola, Tommaso**

**Coloniae Agrippinae, 1680**

Chrisma.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10421**

integrati reus in termino, Iler. in rubr. quo tempore miles, in vers. & cat. num. 4. in fine.

in 255. vol. 4. [Afflict. decis. 170. Dec. in conf. 461. ult. dub.

Octavò, an dicta Pragmatica Odia, liget clericos, vide Dec. in c. Ecclesia S. Maria de constitut. Capyc. in decis. 66.

## COMPROMISSUM.

**P**rimò, compromitti non potest in iudices Ordinarios, nisi tanquam in arbitratores, & amicabilem compositores.

Secundò, nec compromitti de re spirituali in iudicem laicum, c. contingit, de arbit. nisi in laicum, & Clericum auctoritate Episcopi, c. per tuas, eod. tit. Guid. Pap. decis. 62. n. 2.

Tertiò, de possessorio beneficii potest compromitti in iudicem laicum, quia non est causa spiritualis, sed temporalis, idem ibid. quod dixi in 2. dicto intelligi debet, nisi laicus esset arbitrator, quia tunc posset. Doct. in c. 2. de iudic. Jo. de Sel. tract. de benef. 2. p. 9. 28. num. 19.

Quartò, de differentia inter arbitrum, & arbitratorem, vide Matant. q. 1. d. 14. n. 2. primus enim iudici, secundus amicabili compositor comparatur, & secundus procedit de facto, & non de jure, primus verò secus.

Quintò, ad compromittendum requiritur speciale mandatum. Guid. Pap. loc. cit. & Maranta.

Sextò, quomodo cogantur consanguinei, & affines compromittere usque ad quartum gradum inclusivè, vide Prag. Odia. cap. cum tempore de arbitrar. & ibi Abb. n. 3. Capyc. dec. 93.

Septimò, an post conclusum in causa possit opponi compromissum, vide Bal.

## COMETA.

**C**ometa aliquid sive boni sive mali prædicere, vel significare, an sit verum, vide præter alios Suesanum lib. 1. Meteorolog. conf. 84. & ibi D. Thom. lectio 2. & Olympiod. actione 6.

## CHRISMA. ]

**P**rimò, debet revocari singulis annis die Cœnæ Domini, c. si quis in alio, de Consecrat. dist. 4. sed si quis Episcopus confirmaret, vel sacerdos inungeret Chrismate vetusto, licet peccaret mortaliter, tamen esset Sacramentum.

Secundò, Balsamum non est necessarium necessitate sacramenti, sed necessitate præcepti, Franc. Victoria in sum. confirmat. 9. 41. Cajet. in 3. p. 9. 72. Navar. cap. 22. num. 8. Astens. lib. 4. art. 3. licet Soto aliud videatur dicere, 4. sent. d. 7. q. unic. art. 2.

Tertiò, accipiens, & Episcopus conferens, debent esse jejuni, c. ut jejuni, cum sequenti, de consecr. d. 5. sed hoc recessit ab aula, propter multitudinem confirmandorum, Soto loco citat. art. ult.

Quartò, ætas requiritur, ut attingat confirmandus usum rationis, id est, septennium, sed hoc non est necesse. Victo, loc. cit.

q. 49. licet hoc esset bonum, tamen vidi Episcopos observantissimos admittere pueros quinquennales.

Quintò, patrinus est necessarius, ad eò quòd si omitteretur, esset peccatum mortale, Nav. c. 22. n. 9. ver. 4. si hoc facit sciens, id sibi non licere.

Sextò, patrinus debet esse confirmatus, alioquin non contrahit cognationem spiritualem, Victor, loc. cit. q. 50. Sed oppositum & verius habet, Sylv. in ver. matrimon. 8. §. 7. ver. 12. propè finem, & Navar. conf. 1. de cogn. spiritual. Ratio est, quia baptizatus est capax.

Septimò, non potest esse nisi unus patrinus, & alius, quàm fuit in Baptismo: sed hoc vidi non observari à pio quodam Archiepiscopo, nec observatur passim.

Octavò, candela, & alapa non est necessaria, Sot. loc. cit.

Nonò, oleum non debet statim abluì, sed potest abstergi à ministris statim ac confirmatus quis fuerit, & sic vidi praticari à pio quodam Archiepiscopo, Victor, loc. cit. quest. ult.

Decimò, ratio expostularet, quòd hoc conferatur die Pentecostes; Soto loc. cit. sed usù & jure potest etiam omni tempore, c. omni tempore, de consecrat. distinct. 4. Soto loc. cit.

Undecimò, Episcopi curare debent conferre hoc sacramentum in suis diocesis & non propter negligentiam permittere, ut aliqui sine hoc Sacramento moriantur, Alph. de Castro de iusta hæret. punit. l. 3. c. 4.

Duodecimò, cognatio hinc contrahitur, ut in Baptismo diximus.

Decimò, parochus debet habere li-

brum, in quo signentur quotnam sint, & non confirmati.

Decimoquartò, Episcopi dum conferunt hoc Sacramentum; debent facere annotare omnia nomina tam confirmatorum, quàm patrinorum; & ita vidi observari in duobus Archiepiscopatibus.

Decimoquintò, debent esse sine peccato mortali, saltem cum contritione, tam minister, quàm suscipiens: ille quia est minister & cõpetit quia est minister, & cõpetit ei ex officio; iste, quia opponeret obicem gratiæ, c. 2. de consec. d. 5. Victoria loc. cit. quest. 29. Soto 4. sent. dist. prima, quest. 5. art. 6. Sylv. in verbo baptisimus, 3. per totum. D Thom. 3. p. quest. 64. art. 6. ad 3. argum. patrinus verò non tenetur ad hoc, sed facit irreverenter, hoc tamen debet intelligi de adultis, aliàs peccaret mortaliter. Navar. in gl. summa, numer. 37. & 38. de pœnit. dict. 5.

Decimo sextò, hoc sacramentum debet ministrari suis subditis, non alienis, arg. c. omnis utriusque sexus, & toto titulo, de temp. ordin. in Decretal. & in d. 111. de parochiis; accessit sacra Congregatio, declarat. 2. in manuscript. meis, & Acta Mediol. Eccles. de sacram. Confirmationis.

### COMPOSITIO.

PRimò, compositiones, seu transactiones cum reis inquisitis, vel reorum cum fisco, an, & quando fieri possint, vel liceant, & quomodo, vide Grill. lib. 5. & Foll. pract. crim. fol. 101. & 145. & Maran. 6. p. cap. 1. n. 62. & infra, Covar. l. 2. c. 9. per totum,